



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Præcedentiæ Dignitatum, & Canonicorum Ecclesiarum
Cathedralium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

sunt tempore peritura, vt latè per Doct. in c. fin. de ferijs, & per Summistas communiter in verb. festum, & latè Gratian. in dec. 5. quaritur hic an comestibilia possint vendi diebus festiuis, & communem resolutionem posse, vt latè per Posseuinum de officio Curati cap. 12.

Verum valdè animaduertendum, vt quamuis in diebus festis possint vendi comestibilia, quæ pro necessitate victus humani deseruiunt cap. 1. & c. conquestus, de ferijs tamen, vt cognoscatur aliquod discrimen inter diem festum, debent venditores ponere aliquod signum diebus festis sicut in Vrbe seruatur, nam venditores carnum ponunt ante carnes telam albam, Neapoli duæ tabulæ ante apothecam Aromatarij, capones vendentes pastillos, aut carnes falsas possent videri, laborare, coquere medietate iannæ clausa; Vbi ciues sunt pauci potest differri coctura panis post auditam Missam nisi necessitas urgeat; Idem dicendum in Molendino, quod vi ventorum, vel fluminis molit, vt cessante necessitate prius audiatur Missa.

RESOLVT. CCCLXXXIX.

- 1 *Episcopus an teneatur credere, quem laborasse cū causa.*
- 2 *Credendum est probo viro.*

Si Episcopus sciuerit aliquos in festo laborasse, sed dicant cum causa, an teneatur eis credere.

Distingendum est, quod aut persona id asserens est modica, ac deprauata fama, aut bonæ, & honestæ, in primo casu minimè credendum, & pœna edicti exigenda, in secundo vero casu est credendum, & proinde à pœna exactione abstinendum.

Regula enim iuris est, credendum omnino probo viro, vt per Bald. in consil. 29. nu. 3. & seq. prout creditur etiam probo viro, vel nobili asserenti se delegatum, Innoc. in c. cum in iure de offic. deleg. Abb. in c. cum olim de priuil. Rom. consil. 59. nu. 6. & ibi addit Mascard. de probat. volum. 2. conclus. 1091. nu. 19. latè Gabr. in conclus. 3. nu. 7. & 8. Gabriel. consil. 3. & nu. vide Macerat. resolut. 74. & ita loquendo de Curato voluit Posseuinus de offic. Curat. cap. 12. 2. colum. his vtens verbis, quid si Curatus sciuerit aliquos in festo laborasse, sed cum causa an teneatur credere, vel debeat exigere pœnam; Resp. Teneri credere, quia per istam causam isti laborantes fuerunt excusati, ideo non debent cogi ad pœnam, quia ita rationabiliter iudicatur mentem esse Episcopi, cum alias videatur irrationabile obligare excusatum.

PRAXIS PRÆCEDENTIÆ
Dignitatum, & Canonicorum Ecclesiarum
Cathedralium.

RESOLVT. CCCLXXXX.

- 1 *Vicarius præcedit omnes de capitulo, & num. 6. & 7.*
- 2 *Vicarius generalis habet iurisdictionem ordinariam, & num. 4.*
- 3 *Episcopi, & Vicarij idem est Tribunal, & num. 5.*
- 8 *Decisio Sacre Congregationis Rituum per questionis resolutionem asseritur.*

Vicarius Episcopi an debeat præcedere omnes dignitates, ceterosque omnes de Capitulo.

Non est dubium, quod Vicarius debet, tam in procedendo, quam in alijs omnibus actibus præcedere Decanum, Archidiaconum, & omnes de Capitulo, Abb. consil. 21. part. 1. latè Felyn. in rubr. de ma-

ior. & obed. n. 10. in fin. Boich. in tract. de Synod. Episcop. par. 3. n. 20. & cap. 13. num. 39. cum seq. vbi latissime Paulin. in tract. de offic. & potest. Cap. Sede vacante q. 10. par. princ. verific. an autem Vicarius n. 17. vbi dicit, fuisse consultum in Vicario Patavin. Beda consil. 22. n. 20. cum sequent. volum. 1. ea potissimum ratione, quia Vicarius habet iurisdictionem ordinariam, in Archidiaconum, Decanum, & totum Capitulum, ac in vniuersam Diocesim, gloss. & Doct. & in cap. Romana de appellat. in 6. in cap. licet, de offic. Vicar. & gloss. in Clem. 2. de rescript. Abb. d. consil. 21. Bertach. in tract. de Episcop. in 3. part. 4. lib. in titul. de offic. Vic. nam, & si ab Episcopo eligatur, iurisdicatio tamen à lege sibi conceditur, ideoque ordinariam iurisdictionem habere dicitur ca. 1. 2. & 3. de offic. Vic. in 6. leg. & quia si de iurisdic. omni. Iud. Bero. d. consil. 22. nu. 37. volum. 1. vnde conueniens est, quod tanquam maior debeat sedere in altiori, & digniori loco, item quia Episcopi, & Vicarij idem Tribunal, idemque Consistorium ca. 8. de cens. in 6. dict. c. Romana, Abb. dict. consil. 21. de Petr. dict. consil. 6. n. 45. 53. auctoritate Episcopi, & ministerio Vicarij, vt dicit Archidiaconus in c. in noua 16. q. 7. Bald. in titul. de pact. Iur. fir. §. ex præmissis, ver. item pono, Bero. consil. 23. nu. 9. volum. 1. igitur diuerso iure censi non debet, argum. Nam hoc iure de vulg. & pupill. vnde stante huiusmodi vnione inter Episcopum, & Vicarium non debet esse dispar ratio, vt vnus debeat præferri, & non alter.

Et in tantum istud est de iure verissimum, quod contraria consuetudo non est attendenda, tanquam irrationabilis, & contra ius Diuinum, naturale, Canonicum, & ciuile. Imò tanquam pestis habens originem ab ambitione, & vecordia, est vitanda, vt latè per Abb. consil. 21. 2. par. Felyn. in rubr. de maior. & obed. colum. pen. Iaf. in leg. de quibuscunque de leg. Roch. de Curt. in tract. de consuetud. seu in cap. fin. colum. 8. ver. 4. amplifs. Cardin. Iacobat. in tract. de Concil. lib. 1. in titul. de ord. seden. in Concil. Nec est facienda distinctio an Episcopus sit præsens, vel absens in loco, quia Vicarius ita habet iurisdictionem ordinariam à lege præsentem Episcopo, sicut absente, & illam potest exercere, & ita dicitur habere vnum, & idem Tribunal, & consistorium cum Episcopo, ipso præsentem, sicut eo absente, vnde nõ dicatur ratio diuersitatis, & ideo talis distinctio non est admittenda, vt in terminis tenet, & latè profectur de Prat. in tract. de Clyp. Past. c. 6. nu. 41. cum seq. c. 7. n. 13. 14. 15. & per totum, vbi respondet, & probat, quod Episcopus, & Vicarius non sunt duo capita, vt aliqui dicunt, sed vnum tantum caput, & vnum officium tanquam materia, & forma, idem tenet Bero. dict. consil. 22. nu. 22. vbi dicit, quod censetur vna, & eadem persona, & simul iuncti faciunt vnum tantum effectum, iuxta extrauag. vnâ sanctam, nam sicut Christus, & Christi Vicarius Petrus, & Christi successor sunt vnu caput, & ideo vterque debet præcedere honorari, quapropter præsentia, vel absentia non dissoluuntur, ita optimè declarat. de Prat. dict. c. 6. & 7. præsertim num. 13. vsque ad nu. 18. Henr. Boich. in tract. de Synod. Episcop. nu. 21. & quia Vicarius coruscet radijs Episcopi, sicut Augusta radijs Imperatoris Cum. & alij in leg. quod Principi ff. de leg. de Prat. dict. c. 6. nu. 39. & istud multo magis procedit, Episcopo præsentem quam eo absente, ideo non est facienda, talis differentia eandem opinionem tenet, & sequitur Arnon. singul. 28. auctoritate, Abb. dict. consil. 21. & ita fuit decisum in signatura sanctissimi pro Vicario contra ecclesiæ Placentiæ Capitulum, & est decisio etiam Rotæ in nouissimis diuers. 200. nu. 4. p. 1. adde etiam vltra alios quos numerare potuissem, & consultò breuitatis causa ommitto Sbroz. de Vic. Episc. lib. 9. 25. Melil. de præced. Vic. & Raucn.

Rauen. de stat. lect. 2. nu. 42. sic obseruatur etiam in Ecclesia Bononiensi, Neapolitana, & alijs, quare pronuntiandum erit Reuerendum D. Vicarium debere, præferri Decano, Archid. & alijs omnibus de Capitulo, tam in choro, quam extra, & primam Sedem obtinere in choro, primam thurificationem, primam Candelam in die Purificationis, primam palmam, & primo se subscribere in causis delegatis, primum locum in processionibus, in celebratione Missarum dierum, solemniis, & demum in alijs omnibus actibus, tam publicis, quam priuatis, & ita fuit decum etiam in Sacra Congregatione Rituum S. R. E. Cardinalium, sequentibus verbis, videlicet.

Die 28. Nouembris 1595.

8 Congregatio sacrorum Rituum, censuit Vicarium Generalem tam absente, quam presente Episcopo, præcedere debere Canonicos, & Dignitates in Ecclesia, & Choro, & extra in processionibus, ac in alijs omnibus actibus publicis, & priuatis, etiam in Synodo Diocesana.

Quare merito iuxta hanc eandem opinionem ubique feruntur, sed videas nouam opinionem Nouarij iun. in l. 1. C. de consul. lib. 12.

RESOLVT. CCCXCI.

- 1 Vicarius Generalis in Synodo presente Episcopo an præcedere possit Capitulum, & num. 2.
- 3 Vicarius Papæ an præcedat Cardinales in Concilijs generalibus.
- 4 Legatus à latere dicitur habere ordinariam iurisdictionem.
- 5 Quod iuris est de toto quo ad totum, idem est de parte quo ad partem.
- 6 Synodi celebratio ad quid inuenta.
- 7 Prærogative concessa Episcopo censentur communicata eius Capitulo.
- 8 Præcedere ille debet, qui maiorem habet iurisdictionem.
- 9 Vicarius an possit tenere Synodum, & num. 10.
- 11 Iurisdicchio delegata equiparatur extrajudiciali.
- 12 Vicarius habet iurisdictionem ordinariam in tota Diocesi.

Vicarius Generalis Præsidente Episcopo in Synodo An præcedere debeat Capitulum.

- 1 **O** Vamuis in superiori resolutione ad fauorem Vicarij determinauerim: Tamen alias consultus dixi Vicarium generalem in Synodo Diocesana presente Episcopo non debere præcedere Capitulum, ea ratione, quia Vicarius non est de illis, qui ex necessitate debeant in Synodo Diocesana interuenire, nam in multis locis fit mentio de illis, qui sunt vocandi, inter quos connumeratur Capitulum, & tamen nullibi reperitur vocandum esse Vicarium Episcopi, ut in ca. decernimus 18. distinct. Anchar. in c. graue num. 85. in fin. & ibi Buttr. post n. 16. & Imol. sub num. 20. de præbend. unde licet Vicarius in aliquibus alijs locis habeat maiorem iurisdictionem, & præcedere debeat, tamen cum in Synodo Diocesana non habeat locum proprium, nec presente Episcopo habeat iurisdictionem, ut infra dicitur, resultat, quod etiam si Episcopus vellet, quod ipse quoque interesset, non per hoc præcederet Capitulum; Nam iurisdicchio, & dignitas, quam habet Vicarius extra Synodum non est habenda in consideratione, nec ei præcedentiam tribuere debet, ad tradita per Felyn. in c. ex literis in 1. not. de probat. Dec. consil. 161. circa princip. Cassan. in Catalog. gloria mundi in 4. par. 46. considerat. Put. decif. 105. li. 3. & plures alios cumulat Rimin. in consil. 151. nu. 12. cum seqq. & Menoch. consil. 152. n. 6. cum seq. lib. 1.
- 3 Quod etiam confirmatur, quia in Concilijs generalibus, in quibus præest Papa, una cum Cardinalibus tam

cum membra ipsius vocandi sunt Patriarchæ, Episcopi, Archiepiscopi, & tamen de illius Vicario, nulla mentio fit, ut post Hostiens. & alios tradit Petr. à Mont. in Monarchia Conciliorum, Concilio qui interest debent sub num. 1. si autem Papa non præest, tunc præest Legatus nomine eius, qui dicitur habere iurisdictionem delegatam. Imol. in d. c. graue num. 12. versic. si autem de præbend. & ita etiam fuit factum in Concil. Trident. quæ iurisdicchio, & auctoritas Legati presente Papa cessat, & in nulla habetur consideratione; merito idem dicere debemus de Vicario Episcopi in Synodo Diocesana, quia quod iuris est de toto quo ad totum, idem iuris esse debet de parte quo ad partem, quæ de tota, & de rei vendic. c. pastoralis, si item cum totum de offic. deleg. & ita arguit de Concilio generali Petr. à Monte in d. Monarchia Concil. in d. c. Concilio qui deb. interesse sub num. 11.

6 Et nihilominus quidquid fit de hoc an Vicarius debeat interuenire in Synodo, vel ne, hoc certissimum est, qui cum celebratio Synodi sit de arduis negotijs, quia tractatur de his, quæ spectant ad totam Diocesim, Episcopus nil potest facere sine consensu, vel consilio Capituli, cap. nouit de his, quæ fiunt à Prælat. sine consensu Cap. & ideo cum in Synodo Capitulum interueniat tanquam integram personam Episcopi, & tanquam particeps iurisdictionis, absq; dubio præcedere debet Vicarium, tum quia Vicarius presente Episcopo nullam habet iurisdictionem, tum etiam, quia Capitulum cum interueniat tanquam membrum integrans corpus Episcopi, certum est, quod nullus medius debet interponi inter caput, & membra, iuxta tradita post Abb. per Fely. in c. cum non liceat sub n. 2. de prescript. Gemin. in c. quamuis, §. 1. nu. 3. de præbend. in 6. Cassan. in tract. glor. mund. in 4. p. considerat. 32. Boer. de auctorit. magn. Concil. sub nu. 79. per totum, quia omnia prærogatiua, & prærogatiua Episcopi de iure communicata sunt ipsi Capitulo, quando interuenit cum Episcopo ad eius personam integrandam, Innoc. in c. dilecti in princ. de maior. & obed. & in d. c. cum non liceat in 3. not. de prescript. & hac de causa videmus, quod Concil. Trident. in ca. 6. sess. 25. vers. Episcopus, præterea de reform. voluit, quod in his quæ fiunt per Episcopum, & Capitulum, Vicarius interuenire non debeat, ex quo Episcopus cum suo Capitulo tanquam membro sine aliquo intermedio stare debeat per prædicta.

8 Accedit, quod ille præcedere debet, qui habet maiorem iurisdictionem, quo argumento vtuntur, etiam pro vrecentissimo omnes Doctor. qui tenent pro Vicario, & ideo pro parte Capituli demonstrabitur Vicarium presente Episcopo nullam habere iurisdictionem, & Capitulum habere apparebit, Capitulum post Episcopum, habere primam partem in præcedentia, quod autem Vicarius presente Episcopo in Synodo Episcopali nullam habet iurisdictionem, clarè probatur, quia ratione Vicariatus nisi sibi in specie demandetur, non potest tenere Synodum, ut post alios tradit Rebuff. in prax. benefic. in titul. de firm. Vicar. Episc. n. 151. & ratio est, quia in Synodis prouidetur per viâ Constitutionis, & statuti, qui non potest facere, nec confirmare, & validare Vicarius Generalis, nisi hoc in specie sibi fuerit demandatum, cum sit voluntariè iurisdictionis, Feder. de Sen. consil. 264. Franc. in ca. 1. num. 5. ubi etiam ceteri alij de offic. Vicar. lib. 6. Dec. in ca. cum accessissent n. 41. de consil. Roman. singul. 700. in fine, nec omnia quæ sunt iurisdictionis Episcopi transeunt in Vicarium, & inter multa alia, quæ non transeunt, non transe, prædicta potestas faciendi, vel confirmandi facta, nec etiam transit cognitio causarum criminalium, c. 2. de offic. Vicar. in 6. & latè ord. Rebuff. in d. prax. benefic. de tit. de form. Vicar. Episc. num. 152.

- 10 Et ideo si Vicarius non habet hanc facultatem nisi in specie sibi fuerit demandata ab Episcopo, sequitur quod illo præsentē, nullam habeat iurisdictionem cū Vicarius, exceptis his, quæ sibi competunt de iure, communi ratione sui Vicariatus in reliquis, quæ non potest de iure communi, sed auctoritate delegata per præsentiam Episcopi, cessat eius iurisdictione, glos. in c. 2. in verb. officiali, & ibi Gemin. n. 12. & Franc. nu. 6. de offic. Vicar. in 6. Selua in tract. de benefic. in 2. p. quæst. 14. num. 51. versic. ergo à contrario, Feder. de Sen. consil. 102. ad fin. versic. credo tamen, quia iurisdictione delegata æquiparatur mandato extrajudiciali, vt post alios tradit Iaf. in lim. nou. num. 26. ff. de iurisdic. omni. Iudic. & interuentus Domini in eodem negotio facit cessare facultatem mandatum Procuratori, c. si quidem de Procurat. lib. 6.
- 12 Et ex istis tollitur principalis, & potissima ratio, quæ in cōtrarium deduci posset, quod Vicarius habet iurisdictionem ordinariam in tota Diocesi, & est supra Capitulum, & singulos de Capitulo ratione iurisdictionis, & consequenter tanquam Superior præcedere debet, quia hoc procedit in his rebus, & in his locis in quibus habet maiorem iurisdictionem, & sic loquuntur Abb. Ioan. de Anan. Fely. Sarnen. & decisio in causa Algaren. in causa Placētina Sedes, & aliæ auctoritates ex aduerso allegatæ, sed in casu de quo agitur in Synodo Diocesana præsentē Episcopo, prout supra probatum fuit, Vicarius nullam habet iurisdictionem, sed bene illam habet Capitulum, & dato quod aliquam iurisdictionem habeat, nihilominus cum Synodus non sit ad instituta, vt iurisdictione contentiosa ibi exerceatur, sed vt decreta Concilij Prouincialis publicentur.

R E S O L V T. CCCXCII.

- 1 Abbas an præcedat Canonicos Cathedralis, & n. 2. & 6.
- 3 Dignitas Abbatialis dicitur maior post illā Episcopatus.
- 4 Dignitas Episcopalis dicitur culmen dignitatum.
- 5 Ecclesiæ inferiores de Diocesi debent reuerentiam Capitulo.
- 7 Abbas non debet à suis Monachis separari.
- 8 Abbas præcedit omnes dignitates Episcopo inferiores.

Abbas An præcedat Canonicos Cathedralis, vel Collegiatæ Ecclesiæ.

- 1 **E**st acceptum apud Doctores, quod Abbas præferendus sit Clericis secularibus, vt tenet Panorm. in c. decernimus n. 2. & ibi pulchrè etiam Dec. nu. 4. de Iudic. & quod præferendus sit etiam Canonicis Cathedralis ecclesiæ scribit Dominicus de S. Gemin. in cap. fin. in princip. per illum text. de offic. delegat. in 6. & idem etiam decidit Bald. in c. Pastoralis in verb. extra quero de offic. delegat. quos refert Dec. loco citato, versic. ex prædict. quod si Abb. præfertur Canonicis Cathedralis ecclesiæ, qui dicuntur Clerici primi gradus, & est quid maius esse Canonicum ecclesiæ Cathedralis, quam alterius, vt ait Innocens in c. fraternitatem de sepulchris, & in c. sedes in primo glos. de rescript. à fortiori adque dubio præcedet Canonicos Collegiatarum, qui dicuntur Clerici secundi Ordinis, & sunt inferiores Canonici Cathedralis, iuxta regulam in l. de accessionibus ff. de diuers. temporan. prescript. scilicet si vinco vincentem te, multo magis vinco te, quia argumentum à fortiori valet leg. in suis in fin. ff. de liber. & posthum. cum concordantibus de quibus Nouarius lib. 1. quæst. forens. c. 35. num. 10.
- 2 Animaduertas tamen prædicta omnia intelligenda, vt Abbas præcedat omnes Canonicos, & illis dignior habeatur, quando singuli incedunt, quia tunc absq; dubio præferendus est omnibus non solum Canonicis

- verum etiam alijs dignitatibus Episcopo inferioribus, cum dicatur maior dignitas post Episcopum, text. in can. si quis deinceps 16. quæst. 7. Felyn. in ca. meminimus in 3. colum. sub n. 6. de accusat. Dec. consil. 162. colum. 1. quando autem Canonici collegialiter procedunt atque in omnibus alijs actibus in quibus Cathedralē ecclesiā repræsentant, quæ plus alijs honorari debet c. quamuis il 2. de præbend. in 6. & quæ dicitur dignior alijs ecclesijs propter caput suum quod est Episcopus, quæ dignitas est, & culmen dignitatum c. penult. de præbend. glos. in c. 2. eod. tit. in 6. tūc Canonici Cathedralis ecclesiæ præcedent Abbates, quod affirmant Dom. de S. Gemin. in c. quamuis §. quamquam in 3. notab. de præbend. lib. 6. Felyn. in dicto c. meminimus, dicto num. 6. in fin. ita limitans dictum. Bald. in citat. c. Pastoralis, Dec. loco supracitat. Collegium Bononien. in consil. 1. post consil. Zabarell. num. 71. Cassan. 4. part. Cathalog. gloria mudi, consider. 32. Ripa lib. 4. resp. 23. num. 3. Selu. de benef. par. 1. q. 21. à num. 81. vsque ad 89. facit id quod notat Panorm. in cap. cum non liceat sub num. 2. de rescript. ubi inquit quod ecclesiæ inferiores, & de Diocesi debent obedientiam, reuerentiam Capitulo sicut debent Episcopo, non sic autem singulis Canonicis, immò non solum Canonici, verum etiam Clerici Cathedralis Ecclesiæ, qui debent gubernari secundum caput suum, scilicet Episcopum, quando processionaliter incedunt, præferendi sunt Monachis, ac etiam Abbatibus, qui tanquam eorum caput non potest à membris separari, neque licet membra à capite discedere, vt in c. nonit de his quæ fiunt à Prælat. sine consil. c. & in l. cum diuersis ff. de religiof. & sumptib. funer. & c. cum non liceat de, præscript. quæ sententia est verior, & ita in facto prædicatur, & obseruatur, & eam dixit magis communem Collegium Paduanum in consil. 2. post consil. Zabarell. sub nu. 56. subdens, quod ceteris Canonicis, qui non sunt Ecclesiæ Cathedralis, proculdubio Abbas est præferendus, quod intelligo verum, quando Abbas solus sine cōuentu Monachorum incederet, semper enim Clerici seculares præcedunt Regulares, vt notatur in Can. legi Epistolam §. alia 16. q. 1. Ioannes Andreas in reg. de iust. de regul. iur. in glos. final in c. qualiter il 2. de accus. quæ dicit, quod dignior est ceteris Clericorum, quam Monachorum per dictum Can. legi, Cassan. dicta part. 4. considerat. 57. quia Abbas non debet à suis Monachis separari, per antedicta in alijs igitur sessionibus, & actibus in quibus Conuentus cum Abbate interuenire non debet, vt in celebratione Synodi Diocesana, vel alijs huiusmodi utique Abbas non solum Clericos seculares, & Canonicos, verum etiam quascumque dignitates Episcopo inferiores præcedet, & ita pluries consului in varijs casibus occurrentibus.

R E S O L V T. CCCXCIII.

- 1 Abbas an præcedat Vicarium Episcopi.
- 2 Maiores reputantur, qui prius secundum ordinem litterarum nominati sunt.
- 3 Prælatorum appellatione veniunt Abbates.
- 4 Abbatialis dignitas est de maioribus Ecclesiæ.
- 5 Vicarius Episcopi an dicatur in dignitate constitutus.
- 6 In Synodo primus locus assignatur Episcopo, & secundus Abbati.
- 7 Vicarius associatur Episcopo in iurisdictione.

Abbas, Num præcedat Vicarium Episcopi.

- 1 **C**um quidam Vicarius generalis prætenderet in sua Ecclesia, præcedere debere quendam Abbatem contra ipsum, & pro Abbate, vt deberet præferri plura considerabantur.

2 Et

- 2 Et primo, quia maiores, & digniores reputantur, qui prius in ordine litera nominati sunt, digniores enim ante scribi debent leg. i. ff. de Albo scribend. per quem text. Bald. in l. cum quidam de verbor. signific. annuit, quod prior nominatus, maior ceteris presumitur, latè Dec. in c. avaritia n. 5. de prabend. sed in c. fin. de maioritate, & obedient. Prælati sunt primo nominati, quorum appellatione benè veniunt Abbates, ut est notum, ideo ille præcedere debet.
- 4 Secundo, quia Abbas est de maioribus ecclesiæ dignitatibus, argum. text. in c. 2. de iudic. & c. final. de offic. delegat. in 6. nam & ille nominatur primo loco post Episcopum, ideo licet Vicarius dicatur in dignitate constitutus, tamen absq; dubio est de dignitatibus Episcopo inferioribus, quod patet cum ab ipsis constituitur, & sit eius minister; ergo ut dignitati Episcopo inferiori, utique ab Abbate ei præcedatur.
- 6 Tertio, quia secundum Bossum in tract. de Synodo part. 3. n. 10. & seq. in Synodo primus locus assignatur Episcopo tanquam capiti ipsius Synodi, & Diocesis, & secundus immediatè assignatur Abbati, per text. in c. final. de offic. delegat. in 6. & tertius locus assignatur Vicario Episcopi, & sic post Abbates, & ita habetur in Cæremionali Episcoporum cap. 23. sic notat expressè Zecch. de Republic. Eccles. c. 25. de Abbatibus, & ca. 29. de ordin. & præcedent. Prælat.
- 7 Et licet pro contraria parte posset dici, quod Vicarius habet iurisdictionem ordinariam, & associatur Episcopo in iurisdictione iuxta text. in c. innovatione 16. quæst. 7. Tamen respondetur, quod Abbas iure proprio habet iurisdictionem quoque ut est notum, Veltoæ, quod praxis observat, quod præcedat Abbas maximè exemptus.

RESOLVT. CCCXCIV.

- 1 Dignitates Ecclesiarum Cathedralium an præcedant Abbates, & num. 5.
- 2 Abbatia est prima dignitas post Episcopalem.
- 3 Abbas insignis Pontificalibus utitur.
- 4 Abbas potest ordinare subditos in minoribus.
- 5 Ecclesiastici inferiores debent reuerentiam Episcopo.
- 7 Abbas præfertur Archidiacono Cathedralis Ecclesiæ.

Dignitates constitutæ in Ecclesijs Cathedralibus, aut Collegiatis, an præcedere debeant Abbates.

- 1 **H**æ dignitates non præcedunt Abbates exemptos, quia verius est Abbatem precedere omnes alios.
- 2 Prælatos Episcopo inferiores, & dignitates, quia Abbas est de maioribus Ecclesiæ dignitatibus, & Abbatia est prima dignitas, & Priorem obtinet locum post Episcopatum c. si quis deinceps 16. quæst. 7. vbi Episcopatus, & Abbatia æquiparantur, latè Dec. in c. 2. de iudic. decoratur enim Abbas insignijs Pontificalibus, quia habet privilegium deferendi mitram, baculum, sandalia, rocchetto, mantelletum, &c. c. Abbates, & c. ut Apostolicæ de privileg. & ex maioriore ornatu qua quis utitur, colligitur etiam maiori dignitas, ut dixit Domin. de S. Gemin. in citat. c. ut Apostolica, & potest etiam ordinare suos subditos ordinibus minoribus, & alia, ut per Novarium concl. 5. sub titul. de ordinibus, vnde tamen magis privilegiatus, minus privilegiatus est præferendus, iuxta glof. in cap. accusatus §. sanè, in verbo privilegiatus de hæret. cum latius notatis per Cassan. in Cathalog. gloriæ mundi part. 4. considerat. 32. versicul. modo magis privilegiatus.
- 5 Declara tamen suprapositam conclusionem esse veram extra Cathedralē, vbi collegialiter non inceditur, at secus vbi collegialiter incederetur, quia tunc simplices Canonici etiam Abbatibus præferuntur ob

reuerentiam, quæ debetur maiori Ecclesiæ, quæ tunc repræsentatur, & plus alijs honorari debet, quia ecclesiæ inferiores debent reuerentiam Episcopo, & sic Ecclesiæ Cathedrali, Abb. in c. cum non liceat in princip. de præscript.

Et ita intelligendum est Abb. Panorm. in ca. ex ore in 4. notabil. de privileg. dum affirmat, quod Abbas præfertur Archidiacono Cathedralis ecclesiæ, ut etiā sentit Barbatia in cap. decernimus de iudic.

RESOLVT. CCCXCV.

- 1 Archidiaconus dicitur oculus Episcopi, & Episcopo absente in quibusdam est eius Vicarius, num. 2.
- 3 Archidiaconus habet principalem dignitatem post Pontificalem.
- 4 Archidiaconus præcedit alias dignitates, sed an Archipresbyterum, & num. 5.
- 6 Decanus est maior dignitas in Ecclesia Cathedrali post Pontificalem.
- 7 Decanus habet primam vocem in Capitulo.
- 8 Decanus est caput Collegij.
- 9 Archipresbyter habet primum locum in Ecclesia Cathedrali post Archidiaconum.
- 10 Primicerius habet officium cum iurisdictione.
- 11 Præpositus in Ecclesia Cathedrali quem locum tenet, & quod minus, num. 13.
- 12 Præpositus Ecclesiæ collegiatæ est in dignitate constitutus.
- 14 Thesaurarius an dicatur habere dignitatem.
- 15 Cantor an sit in dignitate constitutus.
- 16 Dignitates plures sunt in Ecclesia Cathedrali, quæ vnam præcedit alteram secundum consuetudinem.
- 18 Consuetudinis maxima est vis.

Quanam dignitates in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis præcedere debeant.

- 1 **A**rchidiaconus, qui oculus, & præordinator Episcopi dici solet cap. 1. ca. ad hæc de offic. Ordin. etiam dicitur Princeps Diaconorum, & debet esse Diaconus c. 1. de etate, & qualitate, Abb. in c. cum in cunctis §. inferiora de elect. & absente Episcopo ipso, factus est eius Vicarius in quibusdam ca. 1. vbi glof. in Butr. ca. ad hæc §. secundum de offic. Archid. vnde dicitur Vicarius natus, ut habetur ex Hostiens. in summ. de offic. Archid. num. 1. & Abb. in ca. dilecto de offic. Archid. & Specul. tit. de iurisdic. omn. iudic. col. 3. dicit illum esse clarissimum, quod intelligitur, si assumatur a Collegio, non autem si ab Episcopo creatur, glof. in c. nullus dist. 60. habet principalem dignitatem post Pontificalem, Butr. in c. 1. de offic. Archid. ad ipsum quoque spectat in beneficijs institutos in possessione mittere, & ponere Abbates, & Abbatissas in Sede, c. ad hæc §. in quadam de offic. Archid. sed hoc est intelligendum de Abbatibus, & Abbatissis non exemptis.
- 4 Hinc Archidiaconus præcedit alias dignitates, & Archipresbyter, præcedit Archidiaconum in Divinis, Fe. lyn. in rubr. de maior. & obediēt. de Pretis. in Clypeo Pastoralis officij c. 637. nisi Archidiaconus sit in Presbyteratus ordine constitutus tunc, cum sit par etiam in ordine, & maior in administratione debet præcedere Archipresbyterum absente Episcopo in celebratione Missarum in diebus solemnibus, in delatione Sacramenti, in eius festo, in benedictione candelarum, cinerum, palmarum, & alijs huiusmodi actibus, & functionibus Sacerdotalibus, Hostiens. in c. 1. de offic. Archipresbyter. quem sequitur Io. And. Anton. Abb. Card. Anchar. Bellenc. & censuit Sacra Congreg. in vna Regien. 9. Decembris 1600. his verbis. (Censuit Sacra Congreg. Archidiaconum dictæ Ecclesiæ, qui prima dignitas post Pontificalem existit, & Sacerdos nunc

nunc est, non quidem ex obligatione, sed ex sua voluntate, & deuotione, in decantatione Missarum in diebus solemnibus, delatione Sanctissimi Sacramenti, benedictione candelarum, cinerum, & palmarum, & alijs huiusmodi actibus, & functionibus Sacerdotalibus Episcopo absente, præferendum esse Archiepiscopo, neque allegatam consuetudinem, quæ legitimè probata non fuit, eidem Archiepiscopo ad excludendum Archidiaconum Sacerdotem (in casu de quo agitur suffragari) refert Genuens. in praxi Archiepisc. c. 25. in nouissima editione.

- 6 Decanus est maior dignitas in Ecclesia post Pontificalem dignitatem, vt inquit Roder. Zamoren. in suo Speculo humanæ vitæ lib. 2. cap. 13. vbi dicit, quod Decano Ecclesiæ Cathedralis, post Episcopum maior, & principalior cura, & Collegij administratio competit, est proximior Episcopo dignitate, & honore, & habet in Collegio, & Capitulo primam vocem, vt refert Cassian. 4. par. Cathal. glor. mundi, consider. 37. per hæc verba, videlicet, Decanus in Ecclesia est maior dignitas, post Pontificalem dignitatem secundum Calixtum, quem allegat Roderic. Zamoren. in suo speculo humanæ vitæ lib. 2. cap. 13. vbi amplè loquitur ad propositum de Decano Ecclesiæ Cathedralis dicit, qui Decano, post Pontificem maior, & principalior cura, & Collegij administratio congruit, & proximior est Episcopo dignitate, & honore, cui propinquior est in Concilio, & assistentia, ipse Collegium, nec non personas, ac res Collegij indicat, & tractat, hinc in Exodo iudicantes in vniuersitate Decanus institui iubetur, ex quo vt dicit, sacri Canones venerandam, eam dignitatem decreuerunt, est enim caput Collegij, de quo scriptum est, Constituit eum Dominus in caput, non in caudam, qui ceteris corporis membris auctoritate, & iudicio præcellit, idque primitus loci in Ecclesia iudicat, habet denique Decanus in Collegio, & Capitulo primam vocem, primas salutationes, primos recubitus, hæc sunt verba Roderici, quam postmodum ponit eius calamitatem, & miseria, quas vide, & intellige prædicta de Decano Pontificalis Ecclesiæ, qui alius est ab Archiepiscopo, vt dicit Ioan. de Turrecrem. in capit. 50. dist. & tales habent primum locum, vt dicunt Domini de Rota decis. 447. in cap. fuit dubitatum in nouis quidem Decanus in omnibus fere Hispaniæ, & Franciæ Ecclesijs is dicatur qui præest toti Canonicorum Collegio in Choro, in ingressu comitijs, & suffragijs ferendis, de cuius officio, & dignitate agunt Pute. part. 3. decis. 210. Roman. lib. 3. de Republ. Christiana c. 10. in princip. Paris. de resignat. benefic. lib. 1. q. 1. n. 68. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 3. c. 19. Rota apud Farin. in decis. 533. à num. 4. par. 1. in recent. Cardin. Tusc. conclus. 60. lit. D.
- 9 Archiepiscopus est, qui primum locum post Archidiaconum tenet in Ecclesia Cathedrali, vt dicit glossa in cap. 1. de offic. Archiepiscopi, diciturque Princeps presbyterorum, Marta decis. 177. num. fin., de cuius potestate munere, & officio, Card. Tusc. conclus. 485. lit. A. Lancellor. in templo omnium Iudic. lib. 2. c. 11. Durand. in specul. Iur. lib. 4. sub titul. de Archiepiscopo, & dicitur Vicarius natus Episcopi, quo ad quædam spiritualia, vt prouidendo ad vitam presbyterorum, & Sacerdotum in celebrando Missam magnam, absente Episcopo, & absoluendo à casib. Episcopi reservatis, eo concedente, vt habetur in summ. Hostiens. de offic. Archiepiscopi, Abb. in cap. conquirente de offic. ordin.
- 10 Primicerius habet officium cum iurisdictione in Clericis Ciuitatis, idè dicitur habere dignitatem de iure communi, Aret. conf. 23. Cardin. Tusc. conf. 650. liter. P. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 3. ca. 16. & vide text. in c. vt Primicerius de offic. Primicerij.
- 11 Præpositus in Ecclesia Cathedrali sequitur imme-

diatè post Archiepiscopum, & vbi non est Archidiaconus, succedit in eius locum, & eius munera præstat c. translatio de constit. ex qua causa sonat in nomè dignitatis, & pro dignitate deputatur, licet de iure officium tantum sit, vt dicit Innoc. in cap. de multis de præbend. Archidiacon. in ca. 1. de consuet. in 6. eius munus est fungi officio Archidiaconi, vbi is deest, & curare, & iura Capituli custodiantur, vbi talis consuetudo viget, Lel. Zech. de Republ. Ecclesiast. cap. 24. n. 15. qui Præpositus in Ecclesijs Germaniæ, Poloniæ, Flandriæ, & Angliæ habet personarum, ac dignitatem, & alicubi iurisdictionem, ac curam animarum, totoque præest Canonicorum Collegio, Azor. d. lib. 3. cap. 18. & quod Sedes Præpositi in illis partibus, post Pontificalem sit dignior, censuit Rota apud Farin. decis. 865. n. 8. & decis. 866. n. 1. in 1. Collect. & an. & quando sit dignitas, vide Card. Tusc. lit. P. conclus. 518. & conf. 520.
- 13 Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ est in dignitate constitutus, & Prælati, vt affirmat Cuch. in instit. maior. tit. de Præposito, & etiam habet iurisdictionem in Clericis Collegij, quos potest punire, si deliquerint in leuibus, quia in grauib. sunt ab Episcopo puniendi, Abb. in c. cum contingat, in cap. si quis contra de foro compet.
- 14 Thesaurarius quoque dignitatem habere censetur, quia in Choro consensu comitijs, & suffragijs ferendis gradum, vel locum honorificum habet, vt per Azorium instit. moral. part. 3. lib. 3. c. 16. quæst. 6.
- 15 Cantor, qui etiam dignitatem dicitur habere, & præest toti cantorum Choro in duas partes diuiso, & Antiphonas, & Psalmos inchoat, de cuius dignitate, & officio Pute. decis. 89. part. 3. & Card. Tuschus decis. 419. num. 23. lit. D.
- 16 Sunt, & aliæ etiam dignitates in Ecclesia secundum vniuersumque Prouinciæ consuetudines, præminentiam habentes, de quibus quomodo vna præferatur alteri, multum attenditur consuetudo, quoniam vt dicit Boer. in suo tract. de præminentia, & auctoritate magni Concilij, consuetudo in hoc multum operatur, secundum Felyn. de maiestate, & obedientia colum. 1. Cassan. in Cathalogo gloriæ mundi 4. Pont. considerat. 37. vers. de his, nam certum est in iure, quod præcedentiæ debentur iuxta consuetudinem, & in hac materia præcedentiæ semper consuetudini deferuntur, Nat. consil. 62. in fine, Menoch. consil. 51. n. 49. & ita pluries canonizant Rota Romana, vt apud Seraph. decis. 964. & apud Caualler. decis. 649. quia consuetudinis maxima est vis, & vbique, ac semper debet attendi, vt copiose fundat Nonarius in Collect. decis. super pragmat. Regni Collectan. 153. vbi qu. in plurimas reportat decisiones, & ad plura infert, vt apud eum videri facile potest.

PRAXIS INSTITUTIONIS
in beneficijs Iurispatronatus.

RESOLVT. CCCXCVI.

- 1 Institutio in beneficijs Iurispatronatus multipliciter accipitur.
- 2 Presentatus à Patrono dum est idoneus per Superiorem institui debet, siue velit, siue nolit.
- 3 Ius, quod transfertur in presentatū institutione sequuta.

Quid est institutio in Beneficijs, & quid per illam transferatur in institutum.

- 1 PRO coronide huius quæstionis, ne super incognitis terminis vagetur Tiro, dico, quod licet institutio in beneficijs multipliciter capiatur, tamen in casu nostro Institutio nihil aliud est, nisi quædam concessio Eccle-